

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea


Patavii, 1661

Sapientia humana, stultitia est apud deum. Emblema V.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Sapientia humana, stultitia est apud Deum.

EMBLEMA V.



QUID dicam? quonam hoc compellem nomine monstrum
 Biforme, quod non est homo, nec est draco?
 Sca sine vir pedibus, summis sine partibus anguis,
 Vir anguipes dici, & homiceps anguis potest.
 Anguem pedis homo, hominem eructavit & anguis:
 Nec finis hominis est, initium nec est fera.
 Sic olim Cecrops doctis regnavit Athenis:
 Sic & gigantes terra mater protulit.
 Hac vastrum species, sed religione carentem,
 Terrena tantum quique curet, indicat.

COMMENTARI I.

I. **P**ONITVR monstrum biforme, superiore sui parte virum, inferiore serpentem referens, circa sceptrum, coronas, vas pretiosa, & pecuniarum aceruos occupatum. Inscriptio sumpta est ex Epist.

D. Pauli ad Corinth. 1. cap. 3. ἢ γὰρ σοφία τῆ νεύου τῆς τῆς, κωρία παρὰ τῶ Θεῷ ἰσὶ. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Versus sunt Hexametri, & Trimetri Iambici.

C HOC

II.

Hoc in monstro designando verbis vltus est obscuris, & sententijs planè ænigmaticis. Id tamen quicquid sit, apertò primùm fonte; deinde auctoris consilio, si tamen possimus commodè, illustrare conabimur. Totum hoc fermè videtur imitatus ex gryphis monistichis, & disticho quodam, quæ in collectaneis epigramm. Græcorum legimus, quæque huc ascribemus. Sunt autem eis χείρωνα ἰπποκίνταυρον, lib. 4. Anthologia his verbis:

Ἀνδρὸς ἐν χεὶρὶ χυθ' ἵππος, ἀνδρὸς γ' ἵππῳ ἐν ἀνδρῷ.

Ἀνδρὸς ἐν χεὶρὶ ποδῶν, κεφαλῆς δ' ἄτερ αἰόλος ἵππος.

Ἴππος ἐρεῦγεται ἀνδρῶν ἀνδρὸς δ' ἀποπρὶ δέται ἵππον.

Ἴππος ἐν ἀνδρῶν, ἀνδρὸς δ' ἀτίλεος ἐκετο.

Ὁ γὰρ φύσις παίζουσα διφ' ἵππων κίττιον ἐν ἵππῳ.

Ad verbum si effertur:

Ex viro descendit equus; ascendit autem de equo vir.

Vir sine pedibus, sine capite autem celer equus.

Equus tuat virū, vir autē pedis equū.

Equus non habebat principium, vir autem carebat sine:

† in hunc. Sed hunc natura ludens acri equo ꝑ miscuit,

Alciatus noster paucis mutatis verbis sic vertit:

Ex viro descendit equus, ascendit autem vir de equo.

Vir quidem sine cruribus, & equus fuit sine vertice.

Nam equum pedis vir, & velox equus ruat virum;

Non habebat sinem homo, neque quadrupes exordium;

Sed virum natura ludens acri equo commiscuit.

Quid hoc monstro intelligatur.

Hoc informi monstro, quod nec omninò formam humanam, nec omninò serpentinam figuram habeat, natura quidem duplici, quodq; necdum certam appellationem fortiri possit, ij notatur, qui anima rationis particeps à Deo informati, terrena tantum sapiunt: & neglecta conditione sui meliore, humi repunt, in naturamq; beluina degenerant. Monstrum enim, vt hic exprimitur, in hominem non desinit, nec est feræ principium: non enim finem

spèctant Epicurei homines, propter quem Epicurei.

homini sit concessa ratio, qua miserè abutuntur, eamque spontanea quadam & exitiosa ignoratione inficiunt.

Tales fuerunt rigidi illi Philosophiæ satellites, qui cum Philosophi.

perpetuò dogmatis sapientiæ veteris, & si bi parùm còstantis adhaerent, nihil aliud spirant, quàm quæ terræ sunt, tamesi vnum illis videretur esse studium cœlestia diuinaque contemplandi: quos idè exagitat vir sanctissimus Augustin. libris de ciuit. Dei, Lactantius, Eusebius, & alij multi. Opinor autem hic Alciatus exempli causam Cæcropem apposuisse, nec quidem ab re: Ille enim primus idolorum,

Cæcropem bisformis.

cultu totam Græciam imbuat, primus Iouem inuocauit, simulacrorum vsum induxit, aras construxit, & sacra dijs fecit (teste Eusebio, Herodoto, & pluribus alijs) quæ omnia ante ea tempora omninò fuerant inaudita. Quod verò primus inter marem & scæminam certa connubia dicat instituisse, quæ antè vaga essent & incerta, diuinit, id est, bisformis, est nominatus. Hincq; colligere licet, mundi sapientiam, quam technis & præstigijs satanicis inuexere priores illi Principes, meram fuisse stultitiam, cum perspicuum sit, eam longè desciuisse ab institutis illis priscorum patrum, qui leges diuinas à Noco, & eius meliore posteritate hauserant. Hos itaque vastos, & religionis expertes, quibus tantum curæ terrena sunt, & quorum Deus venter est, ex hominum albo reijcimus.

Quid dicam? quoniam &c.] Quæ noua sunt, stupenda, aut admirationis aliquid præ se ferunt, vt quæ à communi rerum natura sunt aliena, describi ferè solent qui busdam verborum subobscuris ambagibus & rerum inuolueris, vt hic fit ab Alciato in monstri huius periphrasi. Totum certè δευασίχον, vti periculose plenum alex doctis visum, mihi quidem non potuit non videri perobscurum. Quòd si rem acu, quod aiunt, non tetigerim, tentauit tamen quid hac in parte vires aliqui imbecilles possent, & alijs tradidi lampada, vt maiore tandem industria diligentiam aliquam nostram obsecrent. Quæ dum interea meditor, fortasse non malè vno claudam proverbio, quod hic obscure proponitur: Id igitur pronerbium vsurparunt duo ecclesiæ Christianæ lumina Nazianzenus Gregorius, & Chrysostomus: ille quidem

III.

Alph...

quidem in epistolis sic: τὴν πίζην εἰργεν φιλοσοφίαν, καὶ κατὰ μίνυσαν, pedestrem amplexari, humisq; manentem philosophiā. Idem monodia in Basilium: ὃν ἀνδραποδός τις καὶ κατὰ νεφελάς ὁ σίος: quorum vita feruilis est, qualis mancipiorum, & humum spectans. Sic Chrysofomus adhortatur, humi repētes cogitationes erigamus: ἵνα τοὺς χαίματι συρομένους λογισμὸς ἀνορθώσῃμεν. Mitto enim quod de paganorum studio multi ē nostris tradunt, quos alicubi Theodorerus χαίματι χύλης καὶ ἐπιγυαίης appellat: id est, rerum caducarum & humi repentium studijs addictos. Sed Lactantiana quædam lucem huic loco afferent, meo quidem iudicio, ex cap. 3. lib. 2. Quos homines (de philosophis loquitur) philosophus ac poeta Lucretius grauiter accusat tanquam humiles & abiectos, qui contra naturæ suæ rationem ad veneranda terrena se prosternant. Ait enim: *Et faciunt animos humiles formidine Diuum,*

Depressoque premunt ad terram.
 Alio loco sic idem:
Nec pietas vlla est, velatum saepe videri
Vertit ad lapidem, atque omnes accedere
ad aras.
Nec procumbere humi prostratum, &c.
 Paulò post: non oportet sublimes & excellos animos aduocari, atque in terram premi, sed nihil aliud quàm celestia cogitare.

Monstrum biforme.] Duas formas habens, supernè hominis, infernè verò serpentis; nec tamen hominis aut serpentis naturam aut conformationem habet. *Mōstrum* enim est, quod fit contra naturam. Interea, quandoquidem Alciatus noster in monstro tam informi effigiando primū hæserit, vti rem nouam & insolentem, planèque stupendam expressurus, nescio an huc conferre ausim Libycam illam fabulam, quam Chrysofomus Dion reculit quæratum 5. Sed cum nihil sit in narando pericli, non patiar studiosos ea defraudari. Ait igitur esse in Libya ferarum genus, ex promiscuo belluarum diuersi generis coitum, sæuim admodum & ferox circa Sytes imprimis versari. Monstri faciem esse muliebri corpore certè formoso, papillis tumetibus, toto pectore ac ceruice pulcherrima, cutis colore admodum nitido, reliquis partibus corporis horridis, & squamatarum scabritie asperis, infernè demum

in longum anguem desinentibus. Feras esse omnium velocissimas ait, vt nemo sit adeò alacer, qui earum insulcus effugerit. Animalia cætera quotquot noctæ fuerint, per vim assequuntur, tandemque opprimunt: vnum hominem modò blanditijs adoriri, & præstigijs implicare. Cætera Dion. At quæ superiore commentario conatus sum inuentionem carminis Alciatini expiscari, sicut feci, & ex quodam auctore vetere: addo & hoc, apud Ælianum lib. 9. de varia Histor. antiquissimum quædam virum in Aufonia fuisse olim, nomine Marem, cuius anterior facies hominis esset, posterior equi: Græcis est ἱππομιγής. Causam autem naturæ duplicis in id confert, quod primus equum accedderit. Refert quoque Cælius Rhodigin. lib. 2. 5. cap. 32. ex concubitu pastoris, nomine Crathis, cum capra, ob idque ab hircio zeolotypo occisi, natum esse infantem, qui cruribus matrem referret, facie verò patrem. Hunc deorum numero assecutum, constans tenuit fama, fuitq; Hylæum nomen, Napæumq; Huiusmodi monstra nullo pacto reperiri posse festiuis carminibus indicat Lucretius lib. 5. Plinius tamen nar. Hist. lib. 7. cap. 3. dicit, Claudium Cæsarem scripsisse natum in Thesalia Hippocentaurum, eodemque die interijisse.

Nec est draco.] Obiter admonco hic confundi virum & hominem, draconem cum angue siue serpente, &c. quæ ænigmatum lex est.
Vir anguipes. &c.] videtur de industria verbis obscuris vsus, vt rem abstrusam, & quasi recõditam insculperet potiùs quàm delinear.

Anguem pedit homo, &c.] Hic Græcorum more non absunt vocalem, quæ in cæsura hac remanet integra, idque ferè hie rei difficultatis aut grauitatis ostendendæ ergo. Cæterum nouè videtur vsus his verbis, *pedit*, & *eructauit*, quæ vim magnam habent ad demonstrandam monstri huius obscenitatem: Rem enim turpem turpia verba decent. Ponuntur autem hæc duo verba, *pedit*, *eructauit*, κατ' ἀντίθεσιν. *Pedere* enim est, quando apertis cauernis inferioribus Æolus per posterius promontorium status emittit, nares ferientes: at anguem *pedere*, profus nouè & insolenter dictum, vt scilicet ad monstri insolentiam adderet quoq; genituræ nouitatem.

ἱππομιγής.

Monstrum ex capra & homine.

Hippocentaurus.

Pedere & eructare, obscena verba.

Pedere.

Sic hominem eructare anguis dicitur, ut rem prodigiosam quoquo modo effingeret. Eructare, nihil est aliud quam efferre, & egerere, vel ructando aliquid eijcere. Iuuenal.

Si bene ructavit, si recte minxit amicus.
Hoc fere sensu dixit Catullus:

In pede stans fixo carmina ructat hians.
Et Lucilius apud Horatium ducentos versus stans pede in vno ructabat. Serpentem quoque inter significationes alias turpium voluptatum, & mollium illecebrarum notam esse, aliunde didicimus.

Nec finis hominis est, &c.] Non desinit in hominem, quod finem non spectet, cuius maxime causa conditus homo sit: nec habet feræ principium, quod primo anima rationis particeps donatum à Deo sit, ut omnibus alijs animantibus excelleret, sicuti copiosa disputatione Cicero 1. de legib. prosequitur.

Sic olim Cecrops] Cecrops regionis Atticæ rex primus, qui Athenarum arcem extruxit: hinc Cecropidæ Athenienses. Venit autem Cecrops Athenas ex vrbe Ægyptia, quæ dicitur Sais, atque ut inquit Charax, Sais apud Ægyptios vocantur Athenæ. Pansanias ait cum *δρακὼν*, hoc est, naturæ duplicis, superiori parte viri, inferiori feræ, quod coniugia primum instituerit in Attica regione. Malim tamen referre ad id quod superius atigi, de superstitione nimirum, & idolomania, quam primus illic dicitur induxisse. Lege D. Aug. De civit. cap. 8. lib. 18. Iustin. lib. 2. Tzetzes in

Callandram Lycophi. Cecropem ait biforem nominatum, quod ex draconis dentibus egressus sit: vel quod duorum hominum magnitudinis esset: vel duarum linguarum peritus, Ægypticæ nimirum & Græcæ: aut, ut est in fabulis, quod superiores hominis partes, inferiores autem draconis habuerit: quod quidem *ἀλλοτριότης* Demosthenes interpretatus dixit, illum robore similem draconi fuisse, homini mente. Existimat tamen idem Tzetzes eum optimum regem extitisse, quippe qui hominum ferocitatem omnem de medio sustulerit: vel quod primus mulieres, quæ more ferarum coibant promiscuè, (ut est apud Ioannem Antiochenum) ad certa coniugia reuocavit, sicque nefandos concubitus & belluinos abolerit. Nam antea pueri erant *μορορροίς*, id est, vnius natu-

ræ, matrem quippe solam noscebant: Regnante vero in Attica Cecrope, cessauit illa ferina commisitio, & viris legitime. Cecrops vxores iunxit. Inde iam pueris & patrem, & matrem noscentibus, dictus est ipse Cecrops *δρακὼν*, quod per illum pueri hoc essent consecuti. Hæc Tzetzes. Cecrope regnante primum in arce oliua orta est, & ex Mineræ quoque nomine Græco, Athenæ nuncupata. Dicebatur autem Cecrops *δρακὼν*, id est, duabus naturis, siue ob longitudinem corporis: siue idcirco, quod cum esset Ægyptius, vtramque linguam sciebat, Græcam & Ægyptiacam. Primus Cecrops bouem immolans Iouem appellauit; & Cecropia regio ab eo nuncupata. Floruit tempore Moysi anno Mundi 3645. Hæc ex Eusebij Chronicis, quæ omnia in præfatione posuit Iulius. Aliter Plutarchus in libello De sera numinis vindicta: Perinde, inquit, ambiguit præcos de Cecrope fabulatos arbitror, non (ut aliqui asserunt) ex optimo rege crudelem & imitem factum esse tyrannum; sed contra cum sub initium morosus ac terribilis fuisset, postea perquam humanè ac placidè imperasse. Aliter Iustinus: Ante Deucalionis tempora, inquit, regem habuere Cecropem, quem, ut omnis antiquitas fabulata est, biforem prodidere: quia primus inarem formæ matrimonio iunxit.

Doctis Athenis.] Doctis, metaphora epitheti. Doctas posuit propter celebratissimam toto orbe scholam. Hinc enim magni Oratores, hinc Rhetores, hinc Sophistæ, hinc clari denique legum latores. Plutarchus huius epitheti vim expressit commentario, *πότερον ἀθηνάιοι καὶ πόλεμον, ἢ καὶ σοφίαν ἐνδεδέχοντο*. Reuera hæc vrbs, inquit, multarum etiam aliarum mater, artiumque benigna parens, quarum alias primæ reperit, inq; lucem misit, alijs honorem, vim, incrementa contulit. Græcè verò sic: *πολλῶν μὲν διὰ τὴν ἄλλων ἢ πόλιν ἡδὲ μᾶλλον τῆς τῶν ἱμενῶν τεχνῶν γίγνεσθαι, τὰς μὲν ὑραμίνης ἀναρνήσασθαι ὡς ὄντι. ταῖς δὲ δύναμιν προσδέσσει καὶ τιμὴν καὶ αὐξήσιν*. Cicero 1. de Oratore, omnium doctrinarum inuentrices Athenas appellat. Sic idem pro Flacco: Adfunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atq; in omnes terras distributæ putantur. Hæc sunt præclara certè & antiqua vrbs Athenarum, eulogia

Eructare.

Plin. 7. c. 56.
Cecrops rex Athenarum.

Enr didus *δρακὼν*, vna *ὄφιο* nes.

Tzetzes.

Eusebij.

Plutarchi.

Iustini.

Laus Athenarum.

enologia. Sed occurrunt etiam aliorum quorundam non penitentia testimonia. Sic enim Velleius Paternulus ad finem 1. hist. Rom. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam vniuersa Græcia, operibusque floruit, adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates. Ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Apuleius enim 10. Asini aurei: Quale autem & illud iudicium apud legiferos Athenienses & carosillos, & omnis scientiæ magistros. Idem Apolog. 1. Apud Athenienses caros Meleceides fatuus. Et Iustin. lib. 5. Athenas vocat patriam communem eloquentiæ. Lib. 2. idem scripserat, literas certas ac facundiam, & ordinem ciuilem, disciplinæ veluti templum Athenis. Mamertin. oratione panegyric. quam Iuliano dictam voluit: Ipsæ illæ bonarum artium magistræ & inuentrices Athenæ. Valerius Max. lib. 8. c. 7. Athenas locum doctrinæ fertilissimum dixit. Quod enim etansilium cum alijs quam plurimis Casiodorum, qui lib. 1. 2. Variarum, epist. 15. Athenas sedem esse sapientium dictas ab antiquis ait?

Gigantes
quales.

Sic & Gigantes] Gigantes Titanis & Terræ fuerunt filij: siue, vt alij volunt, Terræ tantum sine patre. Fuerunt autem stature admirabilis, quorum pedes in septentur volumina desinebant, ijsq; in Deorum perniciem nati putabantur: cum quibus pugnare ausi, fulmine concussi sunt, atq; sub Ætнам, aliasq; insulas detrusi. Pugnam hanc attingit Pindarus in Nemeis. Huius figmenti rationem Mythologi adferunt, eamque traducunt ad homines quosdam impios, qui Deos negligerent, aut etiam negarent: quorum pedes in draconum volumina desisse aiunt, quod nihil superum, nihil rectum cogitarent, totius eorum vitæ gressu ad inferna mergente. Macrob. Saturnal. 1. c. 20. Virgilius in opusculo de Ætна:

His natura sua est alius tenuis, ima p omnes Squamæus intortus sinuat vestigia serpens. Multa de Gigantum ortu & pugnis Diodoris lib. 4. & 5. A poetis vocantur anguinei, anguipes, & serpentigenæ. Ouid. 1. Metam.

Anguipedes,

Qua centum quisq; parabat Inijcere anguipedū captiuo brachia cælo. Idem 4. Trist. sphingaq; & Harpyias, serpentigenasq; gigantes.

Serpentigena.

giantas.

Quod mihi reuocat in memoriam veteres statuas, quibus gigantum formæ obtortis cruribus conspiciantur, quodq; Lampridius retulit in Commodo: cum nempe quos obtortis cruribus esset vbiuimq; nactus, sagittis & libidine solitum configere, eosq; dracones eos appellitare. Quod epimythion hexasticho secomplexus est Bartholom. Anulus in picta Poesi: hunc enim scriptorem, alioqui recentem, eruditum tamen & acutum, citare nihil verebor: Tale gigantum legitur genus, vt nihil altius Cogitet, at spernat, vel neget esse Deum: Et tantum, quantum se su exteriori mouetur, Commodat ad presens se, vel ad id quod adest.

ὄτι μὲν
δύο.

Hoc genus anguipedum mythici finxere Poeta, Quorum affectus humi (segnis ad alta) repat.

Si vacat, lege Pierium Valerianum lib. 16. & 25. Hieroglyphic. Horum gigantum arrogancia tanta fuit, vt prouerbij locum obtinuerit; nec abs re, nam ex sacris literis originem sumpsisse videtur, vbi legitur, gigantes torrim conatos struere, cuius culmen cælos attingeret, nisi Deus confusione linguarum eos ab incepto abstraxisset. Gigantum fabulum Homeri scholiastes in hanc sententiam narrat: Cum Iupiter patrem Saturnum regno deturbasset, Deorumq; sibi principatum adseuisset, Gigantes Terræ filij succensentes, Tartæum (quæ ciuitas est iuxta Oceanum) magni bellum aduersus Iouem adornarunt: Iupiter vero illis obuiam factus, in Erebum deiecit, ac patri Saturno in ipsos imperiū tradidit. Et Ophioni, qui cæteris superbia præstare videbatur, superato montem ab eius nomine Ophionium superimposuit.

Gigantum
arrogancia.

Missos hoc loco facio, qui multi multa de gigantibus, quorum alij, fuisse negant, quidam contra, & certè plures, non enim vacat sublegere quæ de gigantibus tradunt Herod. in Clío. Plin. 7. c. 16. Solin. cap. 5. tantum admonuisse sat est. Ego quidem facile mihi persuaserim hoc gigantum nomine intelligi veteribus barbaram & impiam gentem, quæ sub hominis figura feritatem exercebat, à quibus honestarum rerum inducta fuerit ἀραξία, quales describuntur à Poetis, Cyclopes, Læstrigones, alijque qui ferinis moribus vagantur.

Ophionium

Gigantes
gens im-
pia.

bantur, insontes & probos quosq; impune lædebant, nullam diuini humaniq; iuris rationem habebant. Cui videtur astipulari Berosus Babylonicus de Antiquit. Circa Libanum, inquit, fuisse Eos urbem maximum Gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur, ab occasu Solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inuentis armis omnes opprimebant; libidini- que inferuientes inuenerunt papilionēs, & instrumenta musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabāt ab- orsus, in eduliumq; preparabant, & com- miscabantur matribus, filiabus, fororibus, masculis, & brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterent, contemptores reli- gionum & Deorum.

Gigantes terrigena.

Terra mater protulit. Gigantes terrigena dicuntur à Poetis, id est, terræ filij, vt ri nominis intelligitur; γῆ, terra, γίγνομαι, fio, nascor, vel, παρὰ τὸ ἐκ γῆς ἵναί, quasi ἐκ γῆς γεγεννημένοι. Sic canit Or- phens lib. 8. sacri serm.

ὄς καλίσει γίγαντας ἰπώνυμον ἱμα- νάρεσσιν, ἔρεκα τῆς ἰγόντο, καὶ αἵματος ἑραλοιο. id est:

Nomine gentili Diui hos dixere Gigantes, Quod geniti è Terra, Cæli sint sanguine creti.

Hesiodus quoq; in Theogonia, Erinyes & Gigantes ex cruore Cæli, cum is à Sa- turno filio castraretur, in gremium, Terræ dilapso procreatos dicit, his versibus:

ἴσασαι γὰρ ἑαδάμιγες ἀΐσασθαι ἀμα- τόεσσαι, πῶς αὖ δέξατο Γαῖα. περιπλομένων δ' ἰναυτῶν

Γενεὰτ' ἰριτνὸς τε κρατερὰς, μεγάλους τε γίγαντας.

Sanguinea quotquot gutta cecidero, recepit Terra omnes; eandē rursus volucribus annis Horrendas pepores, Furias, magnosque Gi- gantes.

Terra fili- us. Gigantis fratercu- lus.

A Gigantibus ortum est prouerbiū, Terra filius & Gigantis fraterculus. De quibus vide Chilliades, item Politianum cap. 18. Miscel. Gigantum præterea meminit O- uid. 1. Metam. vbi eos vocat superum con- temptores, & anguipedes. Meminit & lib. 5. operis eiusdem: & 5. Fastorum sic ait: Terra seros partus immania monstra Gi- gantes

Edidit, anuros in Iouis ire domum.

Mille manis illis dedit, et pro cruribus angues:

Atq; ait: In magnos arma mouete deos. Extruere hi montes ad sidera summa pa- rabant,

Et magnum bello sollicitare Ionem.

Fulgmina de cæli inculatus Iupiter arce,

Vertit in autores pondera vasta suos.

Et Claudianus in Gigantomachia:

Terra parens quondam caelestibus inuida regnis,

Titanumq; simul crebros miserata dolores,

Omnia monstrifero caplebat Tartara cotu.

Inuisum genitura nefas, Phlegyāq; reiecit

Tanta prole tumens, et in aethra protulit

hostes,

Fit sonitus, erumpunt crebri. &c.

Homerus quoq; in Battachomyomachia,

Terræ filios vocat Ggantes:

Γηγεῖων ἀνδρῶν μιμήμενοι ἔργα γι- γάντων.

Terrigenūq; virū simulātes facta Gigantū.

Quinta Luna aliquid aggredi inauspica-

tum erat apud antiquos: erat enim hic nu-

merus Mineræ consecratus, quam sterilem esse constat. Hoc die canunt Poetæ na-

tum Orcum, Eumenides, & Gigantes. Vn-

de Virgil. 1. Georg.

Quintam fugæ pallidus Orcus

Eumenidesq; sata, tū partu Terra n-fando

Cæumq; Inpetūq; creat, saeuimq; Typhæa,

Et coniuratos caelum rescindere fratres.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossiam,

Scilicet atq; Ossa stondosum inuoluere O-

lympium:

Terpater extructos deiecit fulmine montes.

Gigantum nomina, quæ illustriora cele-

brantur à Poetis, sunt: Cecrus, Iapetus, Ty-

phon, siue Typhæus, Aloeus, Enceladus,

Tityus, Briareus, Gyges, Antæus, Atlas,

quibus, si placet iungatur illud monstium

horrendum ingens, cui lumen adæptum,

Polyphemus in antro. Qui plura de Gi-

gantibus desiderat, adeat Officium Rau-

sij Textoris, lib. 2. cap. 37. Natalem Com-

item in Mytholog. lib. 6. c. 21. & alios.

Hæc nostrum species.] ἑπιδιδόν, seu

figmenti sententia. Vaser autem dicitur

callidus, astutus, quasi valde aser: mira n.

semper fuit eius gentis calliditas ac verfu-

tia. Cicero. 3. de Repub. Non sunt in dispu-

tando vasti, non veteratores, non malitio-

si. Eius diminutionum, va fellus.

Sed religione carentem.] In qua tamen

sum-

Quinta Luna nati Gigantes.

Gigantum nomina.

Vaser.

Machia- uellitas quales.

Qua maxime re homo à mutis animalibus differt. Summum bonum ubi.

Summum bonum ubi. Summum hominis bonum esse liquidò constat: cetera enim, quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoq; animalibus deprehenduntur. Religio sola differens homines à belluis facit: quam qui non admittit, alienus à natura hominis, vitam pecudum sub humana specie uiuit. Lactant. lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 10. & de ira Dei, cap. 7. & 8.

Terrena tantum quique curet, indicat. Concinit huic Lactantij loco ex 3. lib. diuinar. insit. cap. 12. Beata vita, quam Philosophi quaesierunt semper, & quaerunt, siue in cultu Deorum, siue in Philosophia, nulla est, ideoque ab ijs non potuit reperiri, quia summum bonum non in summo quaesierunt, sed in imo. Quid est autem summum, nisi certum, & Deus, unde animus oritur? Idem ad rem propius lib. 6. cap. 1. Nihil sapiunt nisi terram, inquit, bonaque & mala solus corporis sensu, & voluptate perpendunt. Huius arbitrio ut religionem ponderant, sic totius uitæ suæ acta disponunt. Hæc ille. Verum & Pifides, auctor Græcus, suis de mundi fabrica uersibus alludere hac mihi uideatur, quo loco in Philosophos, & Proclum maximè inuocatur:

Οσοις λαβὼν χροῶσιν, ἔχουσες ἔχουσιν, Ἄλλ' ὃ σοφιστὰ Πρόκλε. τῶν ἀτάτω λόγων Ὁ πάλαι θροῦτων ἐκείνων λοζοδρῶτων. Quos sic nuper reddidit Fed. Morellus. Græcè & Latine doctus.

Quantum ualent, ut hauriant, non quantum habes, Sophista Procle, uocem humi serpentium Multum intonans è flexuosis imbribus.

IV. E A est huius Emblematis fecunditas, ut inde doctrinae fructus uberrimos decerpere; & ad usum accommodare possis. Humanæ sapientia est stultitia dicatur. Lib. 3. c. 11. Es. 29. Ab. 1. 1.

2. Est præterea hic typus perquam elegans veteratorum quorundam, quos Machiauellitas non malè uocitamus, ut qui imputam & impiam Machiaueli doctrinam mordicus teneant, & ab eius præscriptis non discedant. Gens omninò Deo, pijsque hominibus inuisa, ut quæ sit ad religionis omnis nara contemptum, & ad hominum perniciè quasi ab inferis excitata. Quid enim aliud spirat aut sperat, quàm ut indicetur pietati, omnique a deo uirtuti probiosum exilium? laxentur habentæ fraudibus & latrocinijs? faueatur compendijs fisci, miseraque plebecula deglubatur? Itaq; iam agnosceatis appetius, Philologi Christiani, cui monstro similes sese præsent immanes illi a deo, quales aulici quidam funestissimi, nefandissimi- que, digni qui in Morboniam concedant, vel ut Scianus sub Tiberio, aut sub Alexandro Seuero Turinus quidam, dignum exitum fortiantur.

3. Id porro eorum potest conuerti in profligatur, & perditos huius sæculi a deo, & voluptatios Epicuri assectatores, qui neglecta futuri boni spe, sua omnes cogitationes abiecerunt in id modò, quod adest, quòdque præsens est. Id quidem ego argumetum non inuitus explicarem copiose: sed fatius est ut breuius contraham, si studiosum quemque admonero, id com- modius repeti posse à Lactantianis Institutionibus, maximèque lib. 2. cap. 3. & sequent. item lib. 3. cap. 10. lib. 5. cap. 15. & ijs quæ sequuntur, ut denique lib. 6. capit. 1. 7. 9.

4. Tandem ad sensum Emblematis huic adduco Lactantiam hæc lib. 2. c. 19. Quisquis animam suam, cuius origo de cælo est, ad inferna & imia prostrauerit, eò cadat, quòd se ipse deiecerit, ideoque oportet rationis & status sui memorem, nonnià ad superna niti semper ac tendere: quod qui fecerit, hic placè sapiens, hic iustus, hic cuius suus patris non humilem, nec ad terram more quadrupedum abiectum, nec stantem potius ac rectum, sicut eum fecit, agnouerit. Idem lib. 3. cap. 27. Deus solus potest honorare uirtutem, quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna uita subiacet, profectò neque uirtutis vim sciunt, cuius præmium ignorant, neque in cæsum spectant, quod ipsi se facere putant,

Animus ad superna elatus.



putant, cum res non inuestigabiles quæ-
runt, quia ratio in cœlum spectans, nulla
est alia, nisi aut religione suscipere, aut
animâ suam immortalem esse credere. Vi-
de & lib. 4. c. 28. initio, & non minus diser-
tè in Philosophos lib. 6. cap. 6. & de ira Dei
c. 22. Sine religione, aut immanitate bel-
luis, aut stultitia pecudibus adæquamur:
in sola enim religione, id est, in solus Dei
summi notione sapientia est. Hæc ille. Ne-
que sanè hominû appellatione digni sunt,
qui hæc destituuntur notitia, quanquam
planum sit eos rationis, doctrinæ cuiuscûq;
& humanitatis haud expertes fuisse: nam
æ te caruerunt, qua sola differt homo à
reliquis animantibus, id est, religione, in
qua certè nos homines summum bonum
constituimus. Quanquam enim homo sit
vera & expressa Dei imago, si tamen sic se
abiciat atq; prosternat, vt opificè Deum
ignoret, in belluarum numerum meritò
est aggregandus. Magna igitur animæ ce-
citas sit, imò peruersitas stupenda & ma-

litie verius, immiscere se terrenis & impli-
care, cœlestis cum sit & diuini seminis.
Quid igitur tibi cû sordido hospicio, im-
mortalis mens, quæ perennis æui capax,
signaculum in te presens Conditoris tui,
ad augustissimam eiusdè maiestatem con-
templandam intellectu, recolendam me-
moria, & voluntatis eligendam arbitrio,
procreata pulcherrimè & efficta prapo-
tenti digito? Velut vppuræ nidulus est hoc
corpus quod circummicrimus, è sordibus
concinatum & stercore, cui infidet altior
illa ac nobilior pars, vnde inficitur & fe-
torem trahit, nisi euolet subinde, ac libero
re cœlo fruatur. Inuiscat scetidum hoc glu-
ten carnis, si cubat, nec egreditur: adhæret
lentor & inquinat, si non quatit interdum
alas, & sese eleuat. Clausa quidem est, &
in custodia, scimus; imò & compedibus
suis hic stringitur ac vinculis, sed scirpea
sunt vel scottea non ex ferro vel chalybe:
nil adamantinum, nil marmoreum cingit,
eluctetur & erumpat, patebit via conanti.

Ficta Religio.

EMBLEMA VI.

